

festum Sancti Lucae Evangelistae, more alias consueto, fieri non posset; a festo tamen Divi Martini Episcopi et Confessoris, proxime affuturo, inchoando (sicut et in Sclavonia, circa Epiphaniam Domini, Anno proxime sequenti) rite et ordine celebrentur, durentque, quoad maxime poterunt.

*Serenissimo Domino Archi-Duci Matthiae, in recognitionem singularis erga ipsos pietatis, clementiae et affectionis, bonaet rerum administrationis; de singulis domibus colonicalibus et inquinariis, in Ungariae et Sclavoniae Regnis, viginti denarios Ungaricos, Status et Ordines Regni demisse offerunt.*

#### A rt i c u l u s 25.

§. 2. In recognitionem vero ejusmodi singularis suae Serenitatis erga ipsos clementiae et paternae affectionis; ordinarunt suae Serenitati, Donativi nomine, de singulis domibus colonicalibus et inquinariis, tam in hoc Ungariae Regno, quam etiam in Sclavonia habitis; viginti denarios Ungaricos, binis subscriptis terminis exigendos.

#### RUDOLPHI IMPER. & REGIS DECRETUM XIV. ANNI 1603.

*De subsidii turbatoribus et detentoribus, Colonis dedititiis, de Sclavonia et servitorum desertoribus et aliis; praeteriti Anni Articuli renovati.*

#### A rt i c u l u s 6.

§. 1. Renovantur quoque Articuli ibidem habitii, septimus et octavus, de dedititiis colonis, nec non de Sclavonia, ac de iis; qui non expleto anno, servitia deserunt, seque majoris lucri gratia ad exterios conferunt.

#### RUDOLPHI IMPER. & REGIS DECRETUM XV. ANNI 1604.

*Subsidium pro militum intentione, Anno praeterito decretum, hoc quoque Anno, per Status Regni offertur; ad Cameras Suae Majestatis Caesareae administrandum: Item de militis Ungari conductione et rationibus postea Majestati Suae Caesareae, de perceptis et erogatis, dandis; faciendaque superinde relatione Regno: Utque Sclavonia et Turcis subjecti dimidium Dicæ solvant.*

#### A rt i c u l u s 2.

§. 7. Sclavonia et Turcis subditii, more solito, medium solvant: Juxta Articulum septimum, Anni Millesimi, Sexcentesimi secundi.